Hispalen. Canonicatus super prætensa executione litterarum.

Illme, & Rme Dñe. CVM anno 1709. grassaretur in Ciuitate Hispalensi morbus Epidemicus, quo fuerunt absumpti quamplures Canonici, & Dignitates in Sancta Metropolitana, & Patriarchali Ecclesia Hispalensi, animi dotibus, & scientia insignes; atque eorum maior pars decessisset in mense Sedi Apostolicæ reseruato; hinc Reuerendissimi Decanus, & Capitulum dictæ Sanctæ Ecclesiæ consulere studentes decori Ecclesiæ adeò illustris, & conspicuæ, humiles preces porrexerunt Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnanti, ac etiàm Eminentissimo Prodatario, & Eminentissimo Pauluccio, adhoc, vt vacantes Præbendæ Personis virtutibus, & scientia conspicuis, ac nobilibus concederentur, & Sanctissimus D. Noster ex sua consueta benignitate, & zelo, quo ardet prouidendi Ecclesias de Hominibus prerogatiua meritorum, & scientiarum illustribus, Reuerendiss. Capitulo per Breue rescripsit sub forma sequenti, ibi = *Curauimus iacturam vestram ijs, quibus fas fuit, medijs statim sarcire, ac proindè ad obeunda istius Ecclesiæ munera, quæ vacabant, illos ex Concurrentibus delegimus, quos amplioribus testimonijs, ac præstantioribus prærogatiuis virtutum, necnon Originis præ cæteris communitos esse existimauimus, non sinè peculiari quodam intuitu ad preces, quas nobis desupèr attulistis, vt singulare Paternæ nostræ charitatis argumentum hac occasione vobis tribueremus* = vt ex *Summario num. 6.*; Quod quidèm Breue datum fuit Romæ die 13. Iulij 1709., vt ex dicto *Summario num. 6. in fin.*; Eminentissimus verò Pauluccius sub eodem ferè tenore mentem Summi Pontificis explicauit nostro Reuerendissimo Capitulo, *Summario num. 7.*, & sub eodem tenore respondit quoque Eminentissimus Sacripantes Sanctissimi Domini Nostri Prodatarius, *Summario num. 8. litt. A., & B.*

Intèr alios à Sanctissimo Domino Nostro tunc prouisos connumeratur D. Ascentius Ximenez Polo Presbyter Diœcesis Hispalen., qui ad extorquendum Canonicatum dictæ S. Ecclesiæ falsò exposuit Summo Pontifici, se esse *de Nobili genere procreatum*, ac *studuisse Philosophiæ, & Theologiæ Morali*, *quodque à biennio, quo in Curia moratus fuerat, fuit conuictor in Domo Missionis de Vrbe*; & expositis Summo Pontifici dictis requisitis obtinuit cæteris Concurrentibus in Prouisione Canonicatus præferri, vt ex literis Apostolicis *Summario num. 9.* sub datum Romæ eodem mense Iulij 1709., & eodem tempore, quo Summus Pontifex nostro Reuerendissimo Capitulo per Breue rescripserat ex Concurrentibus delegisse, quos amplioribus

bus testimonijs, & præstantioribus prærogatiuis virtutum erant communiti, *d.Summ.num.6.litt.A.*

Et non solùm D.Ascentius Polo expositis meritis non erat condecoratus, nàm non erat de nobili genere procreatus; cum sit de vili Plebe parui Oppiduli de Villarasa, nec vnquàm studuit Philosophiæ, aut Theologiæ morali, dùm toto tempore vitæ suæ inseruierat vni ex Canonicis pręd.S.Ecclesiæ Hispalen. à pueritia nępè vsque ad annum 1707., quo ad Vrbem accessit, cùm vix esset medio critèr in Grammatica instructus, vt ex *Summario num. 13. litt. D.*; sed quod peius est, de mense Ianuarij eiusdem anni 1709. Ioannes Dominguez Baguero frater germanus dicti Ascentij Polo, filius Gonsalui Ximenez, & Iosephæ Mariæ, cuius exercitium erat locare operas suas prò agris fodiendis, *Summario num.16.litt.I., & K.*, fuit processatus, & confessus de furtis commissis, vna simul cùm tribus alijs Rusticis in Territorio de Villarasa, nempè de furto Abigeatus Vitulorum, Pecudum, ac etiàm de furto Casei, Mellis, aliarumque rerum, vt liquet tàm ex prima confessione dicti Ioannis Dominguez Baquero fratris germani D. Ascentij Polo, *Summario num.16.litt.L., & seqq.*, quàm etiam ex secunda illius depositione, vt ex dicto *Summario nu.16. litt.KK.*, *& seqq.* Prout etiàm fuit conuictus ex depositionibus aliorum Correorum, vt ex *eodem Summario num.16.*, adeout duo ex dictis socijs fuerint expositi publicæ infamiæ in dicta Terra de Villarasa, vt ex *Summario dicto num.16.litt.PP.*, *& litt.RR.*, subindeque omnes Rei transportati ad carceres de Niebla, vt maiori pœna afficerentur, qui tamen fregerunt carceres, & fugam arripuerunt, *vt ex dicto num.16.litt.SS. TT.*, *& VV.*; & non fuit processum in contumaciam aduersùs germanum fratrem Aduersarij, ex quo increbuit fama de eius obitu, vt in *d.Summ.num.16.litt.VV.*

Cùm autèm Aduersarius sub grauibus vsuris suscepisset pecunias prò expeditione Bullarum, easque obpignoratas transmisisset ad Villam Matriti; non habens media, quibus posset præcitatas litteras expignorare vnacum cambijs, & recambijs decursis, illas tandèm expignorauit de mense Decembris 1715. ex quo comperijt in Ciuitate Hispalensi Mercatorem Peruanum, qui illi pecunias sub grauissimis vsuris dedit, sub spe rehabendi sortem, & fructus ex prouentibus Canonicatus, & Præbendæ post adeptam illius possessionem.

Expignoratis itaque literis Apostolicis, illas præsentauit sub die 30. mensis Decembris Prouisori Archiepiscopatus Hispalen. Executori in literis deputato *Summario num.11.*, qui in ipso actu præsentationis eodem momento, siuè eodem Decreto, quo Iurisdictionem Apostolicam acceptauit, relaxauit mandatum de immittendo *Summ.num.11.litt.A.*

Habita notitia ex parte Reuerendissimi Capituli mandati de immit-

tendo

tendo decreti à Prouisore Archiepiscopatus, coràm eodem Exequutore comparuit, & instetit supersederi in executione dicti mandati, & quia aduersùs dictas literas Apostolicas debebat proponere plures exceptiones concernentes tàm Personam Aduersarij, quàm vitia litterarum Apostolicarum, instetit coràm dicto Exequutore, adhoc nè dicta vitia patefierent, suscipi supèr omnibus secretam informationem, & Prouisor Archiepiscopatus decreuit, vt producto speciali Procuræ mandato Reuerendissimi Capituli, exhiberetur libellus secretus cum exceptionibus, quas Reuerendissimum Capitulum proponere intendebat; hinc producto in actis mandato Procuræ Reuerendissimi Capituli, de quo in *Summario Additionali num.* 1., productus fuit libellus secretus, de quo in *Summ. princip. n.* 13. vbi *lit. A.* fit relatio Decreti interpositi à Prouisore, & productio mandati Procuræ, ibique facta relatione, quod semper Sedes Apostolica dignata fuerat in prouisionibus Dignitates, & Canonicatus dictæ Sanctæ Ecclesiæ conferre viris insignibus, & claris tàm ratione nobilitatis generis, quàm proptèr ornamenta scientiarum, quibus erent condecorati, quodque id erat in Ciuitate Hispalen. publicum, & notorium, vt ex dicto *Summario num.* 13. *lit. A. in fin.*

Successiuè allegauit, quod mens Sanctissimi in prouisionibus Præbendarum, quæ vacauerant anno 1709. ea fuit prouidendi Ecclesiam de Personis nobilitate, & scientia insignibus, & ad dictum effectum produxit Breue Sanctissimi D. Nostri, Epistolam Eminentissimi Sacripantes, & Epistolam Eminentissimi Paulucci *dicto Summario num.* 13. *litt. B.*; Proposuit vlteriùs, quod Summus Pontifex motus fuerat ad concedendam gratiam Aduersario, ex quo eidem exposuerat, se esse de nobili genere procreatum, quodque operam dedisset studio Philosophiæ, & Theologiç moralis, cum veritas esset ipsum nunquàm studuisse Philosophiæ, & Theologiæ morali, cum vix esset mediocritèr in Grammatica instructus, ac in Ciuitate Hispalensi nil aliud studuisset, quàm puræ Grammaticæ, in qua vix mediocritèr profecerat, vt omnibus erat publicum, & notorium, *dicto n.* 13. *litt. D.*

Allegauit etiàm, quod erat paritèr publicum, & notorium, quod Aduersarius non erat de nobili genere procreatus, *dicto num.* 13. *litt. E.*, quodque proindè litterç Apostolicæ erant subreptitiæ, & obreptitiæ, *d. Summ. n.* 13. *lit. F.*

Et insupèr allegauit infamiam Generis, & familiæ Aduersarij contractam ex delictis furtorum commissis à suo fratre, prò quibus fuit carceratus, & publicæ infamiæ expositus, & instetit, vt super omnibus caperetur secreta informatio *dicto num.* 13. *litt. A.*, & tandèm compelli Aduersarium ad declarandum, quot redditus Ecclesiasticos habebat de tempore, quo fuit de Canonicatu prouisus, *dicto num.* 13. *litt. I.*, & Exequutor suum interposuit Decretum, quo

man-

mandauit communicari Parti libellum prædictum, vtque Dominus Ascentius Polo Ximenez emitteret declarationem ad formam d.petitionis, *d.Summ.num.* 13.*lit.A.*

In sequelam præcitati Decreti D.Ascentius Polo declarauit, quod de tempore, quo prouisus fuit de dicto Canonicatu, possidebat tres perpetuas Cappellanias, duas in loco de Encina Sola, & tertiam in Ciuitate Hispalen. in Cappella *de los Viscainos*, sitâ in Ecclesia Conuentus S.Francisci, quarum fructus ei dabant congruam substentationem, quodque ad earum titulum fuerat ad Ordines promotus, *Summ. num.* 14.

Successiuè Aduersarius die 9. Martij 1716. coram D. Executore respondendo allegauit, quod præcipua exceptio per Reuerendissimum Capitulum allegata consistebat in prætensis delictis à suo fratre commissis, ideòque cum d. Processus reperiretur penès Secretariam D. Ducis de Medina Sidonia Domini de Villarasa, supplicauit sibi concedi Litteras compulsoriales ad effectum compulsandi in Villa Matriti dictum Processum, *Summ.n.*15.*lit.C.*, & obtinuit decerni litteras compulsoriales, *dicto Summario lit.D.*, quarum vigore compulsauit dictum processum criminalem, de quo *in Summ. num.*16., & successiuè illud produxit coram D.Executore. vt ex *Summ. num.* 17., & allegauit Reuerendissimum Capitulum non esse legitimum Contradictorem, ad effectum impediendi executionem suæ Gratiæ, *Summario num.* 17., & proindè obtinuit decerni executionem mandati de immittendo; Cumquè pluriès dictus D.Ascentius à Notario associatus accessisset ad Aulam Capitularem, in qua erat congregatum Capitulum ordinarium, nunquàm illi fuit permissum, vt dictum mandatum Reuerendissimo Capitulo notificaretur,itaùt quotiès D. Ascentius Polo associatus à Notario se conferebat ad Ecclesiam Hispalensem,confluebat ad eam magna Populi multitudo: Quocircà habitâ de præmissis notitia per Eminentissimum,& Reuerendissimum Cardinalem Archiepiscopum,quoqd;imminebat popularis tumultus,mandauit, vt Reuerendissimum Capitulum emitteret obligationem persoluendi D.Ascentio fructus suæ Præbendæ in casu, quo in Romana Curia obtineret dictarum Litterarum executionem,proùt libentèr per Reuerendissimum Capitulum præcitata obligatio facta fuit, & deindè mandauit suo Vicario Generali Executori in literis deputato, vt superséderet in executione mandati de immittendo, vtque consuleret Sedem Apostolicam super eo, quod esset agendum super dictarum Litterarum executione, & Vicarius Generalis, & insimùl Executor Apostolicus suum interposuit Decretum, quo dicit denegasse facultatem Reuerendissimo Capitulo faciendi probationes, attento quod illud non habuit pro legitimo Contradictore, *Summ. num.* 17. *lit. A.*, quodque cum pro executione mandati de immittendo propter multum concursum Populi, qui se ad Eccle-

siam

siam conferebat, in diebus Capituli resultauerit aliquod scandalum; hinc ad reparanda grauia absurda, & scandala, quæ prudentèr timeri poterant, Eminentissimus D. Cardinalis cupiens pacem, & tranquillitatem suæ Ecclesiæ mandauerat supersederi in executione, quousque fieret consultatio cum Sua Sanctitate, *d. Summ. num.* 17. *lit. B. & C.*, ad quod Executor eo libentiùs deuenit, ex quo Reuerendissimum Capitulum promiserat stare Apostolicæ determinationi, & subministrare omnes fructus, & prouentus Canonicatus, quatenùs per Sedem Apostolicam decerneretur dictæ Gratiæ executio, & proindè mandauit supersederi in executione dictarum Litterarum Apostolicarum quousque visis actis, & informatâ Sua Sanctitate, ab ea determinetur quid sit exequendum, *dicto Summ. num.* 17. *in fin.*

Quamuis autèm Reuerendissimo Capitulo innotescerent patentissima vitia subreptionis, & obreptionis Litterarum Apostolicarum, adhùc tamèn omne studium adhibuit, vt induceret D. Aduersarium ad concordiam honestam, nàm repererat Personam, cum qua Aduersarius posset sub Beneplacito Sedis Apostolicæ suum Canonicatum permutare cum Beneficijs simplicibus, & reseruatione Pensionis vsq; ad summam annuorum sc. 600. monetæ Romanæ, & vlteriùs sub Beneplacito Sedis Apostolicæ Creditoribus Aduersarij soluere summam debitam pro prima Litterarum Apostolicarum expeditione, quæ summa ascendebat ad scuta ferè 5000. monetæ Romanæ, prout quoque duos alios Prouisos maioris notæ, quàm Aduersarius, eodem anno 1709. induxit ad similem concordiam, quia paritèr illi sub falsis narratiuis de Canonicatibus fuerant prouisi; Sed D. Ascentius Polo noluit hanc concordiam vnquàm amplecti; ex quo non intellexerat vim exceptionum obreptionis, & subreptionis contrà suam prouisionem ex parte Reuerendissimi Capituli propositarum; Hinc Reuerendissimum Capitulum ablegauit ad Vrbem suum Commissarium Generalem, & D. Ascentius Polo paritèr iter ad Vrbem arripuit, & ad vtriusque Instantiam fuit à Sanctissimo Domino Nostro deputata hæc Particularis Congregatio, cui facultatem concessit cognoscendi super executione Litterarum Apostolicarum D. Aduersarij, vt ex tenore Commissionis, *Summ. Additionali num.* 2.

Et quamuis notissimæ essent, & patentissimæ subreptiones Litterarum Apostolicarum D. Aduersarij, adhùc tamèn D. Commissarius Reuerendissimi Capituli non cessauit etiam in Vrbe promouere nouum concordiæ tractatum, mediante interpositione Illustrissimi, & Reuerendissimi D. mei Auditoris Sanctissimi, qui non solùm eidem obtulit solutionem debiti contracti pro Bullarum expignoratione, & annuos redditus Beneficiorum simplicium, aut Pensionis Ecclesiasticæ vsque ad summam 600., & vltrà scutorum, sed vlteriùs ei obtulit, quod se interponeret cum Reuerendissimo Commissario,

 vt

vt ipse fauorabilem sententiam huius Congregationis reportaret, ac etiam Canonicatus possessionem, dummodò post duos menses, aut Canonicatum resignaret, aut illum permutaret, sed paritèr hanc concordiam acceptare renuit.

Animaduertens tandèm Aduersarius esse ineuitabilem suæ Gratiæ obreptionem, porrexit in Dataria supplicationem *Perindè valere*, in qua præmissâ narratiuâ, quod licèt de tempore, quo obtinuit prouideri de Canonicatu, & Præbenda in Ecclesia Hispalen., possideret duas perpetuas Cappellanias collatiuas, nihilominùs de illis nullam fecerat mentionem in Litteris Apostolicis, & proindè supplicabat Sanctissimo pro Gratia *Perindèvalere* sibi profuturâ à data illius *perindè acsi in prouisione dicti Canonicatus expressisset*, quod ipse dictas Cappellanias possidebat, vt ex supplicatione per Sanctissimum signatâ, de qua *in Summ. Additionali num. 3.*

Intereà verò comparuit in Dataria Apostolica Don Michael Antonius Curiel filius Regij Consiliarij Serenissimi Regis Catholici, & de Sede Apostolica optimè meriti, & dictum Canonicatum impetrauit aduersùs Aduersarium, siuè ex eo, quod illius Gratia esset nulla ob non factam Beneficiorum obtentorum expressionem, siuè eo, quod falsò asseruerat Summo Pontifici, ipsum esse de nobili genere procreatum, cum tamèn non esset.

Verùm Defensores D. Aduersarij serò agnoscentes, prædictam Gratiam *Perindèvalere* D. Ascentio non posse suffragari, ex quo etiàm in dicta Gratia falsò expresserat, quod de tempore prouisionis Canonicatus obtineret duas perpetuas Cappellanias, cùm reuerà tunc obtineret, proùt adhùc possidet, tres Cappellanias, porrexerunt aliam supplicationem, in qua Aduersarius Summo Pontifici expressit, quod de tempore Gratiæ dicti Canonicatus non fecerat mentionem trium Cappellaniarum, quas tunc possidebat, ac etiam expressit Summo Pontifici, ipsum per errorem tunc Summo Pontifici exposuisse *esse de Nobili genere procreatum*, *cum tamèn non esset de Nobili genere procreatus*, *Summ. Additionali num. 4. lit. A. & B.*, & proindè supplicabat Sanctissimo, vt sibi concederet Gratiam *Perindèvalere*, perindè acsi in prouisione dicti Canonicatus expressisset, ipsum tunc tres perpetuas Cappellanias possidere, ac perindè acsi non expressisset, esse de Nobili genere procreatum, itaût Gratia prouisionis Canonicatus illi suffragari deberet à die datæ huius nouæ Gratiæ *Perindèvalere*, *dicto Summ. Addit. num. 4. lit. G.*, & eodem tempore citauit tàm Procuratorem Impetrantis, quàm Procuratorem Reuerendissimi Capituli coràm Eminentissimo Prodatario, & institit lacerari supplicationem Impetrationis, & relaxari dictam suam Gratiam *Perindèvalere*, *Summ. Additionali num. 5.*, & Eminentissimus Prodatarius considerans, quod Causa super executione dictarum Litterarum Apostolicarum pendebat in

hac

hac Particulari Congregatione, quæ cognoſcere debebat de vitijs obreptionis, & ſubreptionis Litterarum Apoſtolicarum D. Aduerſarij, remiſit ad eamdem Particularem Congregationem à Sanctiſſimo deputatam in negocio principali, etiàm vtriuſque Partis ſupplicationes pro Voto: *An ſcilicèt eſſet ſignanda vel Gratia Impetrationis, vel ſupplicatio reualidatoria exhibita à D. Aſcenſio Polo, d. Summ. Additionali num. 5.*

Agnoſcens denuò Aduerſarius nullam ex prædictis Gratijs eidem poſſe ſuffragari, ex quo ambæ ſupplicationes porrectæ vitijs obreptionis, & ſubreptionis erant plenæ, quodque illius Gratia principalis ſanari non poterat mediantibus Gratijs *Perindevalere*, ſed quod indigebat nouâ Prouiſione ex integro non ſolùm dicti Canonicatus, & Præbendæ, ſed etiàm dictarum Cappellaniarum, quas nullitèr, & de facto, & cum titulo vitioſo poſſidebat; hinc pluribus diebus poſt Decretum Eminentiſſimi Prodatarij nouam porrexit ſupplicationem, qua ex integro prouideri petijt tàm de dictis Cappellanijs, quàm de dicto Canonicatu, & Præbenda Hiſpalen., ſub narratiua, quod ipſe Ordinaria auctoritate prouiſus fuerat de duabus perpetuis Cappellanijs ſub eodem tecto ſitis in Eccleſia Parochiali loci de Encina Sola ſine diſpenſatione Apoſtolica, quodque inſupèr eadem ordinaria auctoritate prouiſus fuerat de tertia Cappellania, quodque illas indebitè poſſederat, & fructus perceperat ſine Apoſtolica diſpenſatione contra Decreta Concilij Tridentini, *Summ. num. 6. lit. A.*, quodque vlteriùs prouiſus fuerat de Canonicatu, & Præbenda Eccleſiæ Hiſpalen., nulla facta mentione, quod tunc poſſidebat, prout adhùc poſſidet, prædictas tres Cappellanias; ideò ſupplicauit Sanctiſſimo pro noua prouiſione dictarum Cappellaniarum cum diſpenſatione retinendi dictas duas Cappellanias ſub eodem tecto, *Summario num. 6. lit. B.* Et etiàm ſupplicauit pro condonatione fructuum ex dictis Cappellanijs perceptorum, *dicto Summ. num. 6. lit. C.* Et inſupèr ſupplicauit, ex integro prouideri de dd. Canonicatu, & Præbenda in dicta Sancta Eccleſia Hiſpalen. tamquàm adhùc vacante per obitum Ioannis de los Sanctos, *d. Summ. num. 5. litt. D.* Cumque facta fuiſſet Inſtantia coràm Eminentiſſimo Prodatario pro laceratione huius nouiſſimæ ſupplicationis, Eminentiſſimus Prodatarius paritèr remiſit pro Voto huic Congregationi Particulari, an dicta ſupplicatio eſſet ſignanda, vt ex *Summario num.* 7. Hinc primo loco diſputandum aſſumimus Articulum ſuper executione Litterarum Apoſtolicarum, pro quo à Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata fuit hæc particularis Congregatio, vt ex tenore Commiſſionis *Summ. Addit. n.* 2., & in alia facti Informatione aſſumendam duxi diſputationem; An Aduerſarij fauore ſit aliqua ex ſupplicationibus porrectis ſignanda: cùm in primo RR. PP. iudicare debeant tanquam Iudices ſpecialitèr à Sanctiſſimo Domino Noſtro deputati ad tenorem

 rem

rem dictæ Commissionis, quo verò ad Articulum signaturæ supplicationum dumtaxàt debent præstare votum Eminentiss. Prodatario iuxtà tenorem decretorum ab eo interpositorū, de quibus in *Summario Addit. num.* 5. & 7.

Et quidem quoad Dubium concernens negocium principale, pro cuius discussione deputata reperitur à Sanctissimo Domino Nostro hæc Sacra Congregatio, iuxtà tenorem Commissionis manu Sanctissimi signatæ, de qua in *Summ. additionali num.* 2., rescribendum omninò speramus, literas Apostolicas non esse exequendas, ex pluribus fundamentis, quæ omni prorsùs carent dubietate.

Et quidem primum fundamentum desumimus ex Statuto fundamentali nostræ Sanctæ Ecclesiæ auctoritate Sedis Apostolicæ condito per Raymundum Primum Sanctæ Ecclesiæ Hyspalen. Archiepiscopum, & Capitulum, quod ordinatum fuit octo annis post recuperatam Ciuitatem Hyspalensem à Sancto Rege Ferdinando è manibus Maurorum; In eo enim fuit statutum, & ordinatum, vt Archiepiscopus, & Capitulum non tenerentur aliquem in Canonicum recipere, nisi primo fuerit Portionarius dictæ Ecclesiæ, vel nisi esset Doctor Decretorum, vel Dominus Legum, vel Magister in Theologia, vel in alijs famosis facultatibus, vt ex tenore Statuti, quod datur in *Summ. num. primo lit. A.*, ibi = *Item statuimus, quod nullus recipiatur per nos in Canonicum, nisi primò fuerit Portionarius, nisi sit Doctor Decretorum, vel Dominus Legum, vel Magister in Theologia, vel in alijs famosis facultatibus; Volumus enim, quod prædicti possint per nos recipi ad Canonicatum, & non obstante, quod non sint Portionarij, per ipsos enim decorabitur Ecclesia, & multipliciter, in spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementum*; = Cùm itaquè Aduersarius non sit qualificatus iuxtà formam Statutorum fundamentalium nostræ Ecclesiæ, illius literæ Apostolicæ non sunt exequendæ.

Quod autem non sit qualificatus, id patentissimè liquet, nàm cum Aduersarius nunquam fuit Portionarius nostræ Ecclesiæ, ibidem Canonicatum obtinere non potest, nisi doceat se esse Doctorem Decretorum, vel Legum, vel Magistrum in Theologia; vndè eo ipso, quod Aduersarius non docet de qualitate à Statuto fundamentali nostræ Ecclesiæ requisitâ, nequit Literarum executionem obtinere, *Rot. coram Coccin. decis.* 2028. *num.* 8. & 9. *coram Cerro decis.* 89. *sub num.* 16., & *in recentior. decis.* 127. *num.* 14. & 15. *part.* 9. *decis.* 243. *num.* 12., & *seqq. part.* 17. *decis.* 665. *num.* 14., & *seqq. part.* 18., & *magistraliter in Leodien., seù Aquisgranen. Canonicatus super bono Iure* 7. *Martij* 1700. §. *Et quidem*, & §. *finali coram Eminentissimo Scotto*.

Quin obijci valeat, præcitatum Statutum non fuisse conditum in limine fundationis, nàm hic Articulus reperitur iàm decisus à Sacro Rotæ Auditorio in celebri Causa *Hispalen. Diuisionis Simultaneæ*,

neæ, acriter agitatâ inter bon. mem. Archiepiscopum Palafox, & Reuerendissimum Capitulum nostræ Sanctæ Ecclesiæ, vbi fuit decisum, Statuta edita à dicto Raymundo primo Archiepiscopo, & Capitulo esse fundamentalia, edita in limine fundationis dictæ Ecclesiæ, & confirmata per Sedem Apostolicam, vt liquet ex *Decisione in dicta Causa editâ coram bon. mem. Muto die* 11. *Februarij* 1695. §. *primo*, §. *Simultaneus*, §. *Nihilominùs in fine*, §. *Clariùs*, & §. *Hinc resistente*, & confirmata coram *Eminentissimo Priolo die* 4. *Iunij anni* 1700. §. *Et tanto magis*, & §. *Et quamuis*.

Nec obstat, quod Summus Pontifex in Prouisionibus ad ipsum spectantibus non teneatur Canonicatus conferre Personis qualificatis iuxtà formam dicti Statuti; Quoniam communis est in hoc Articulo distinctio, quod scilicèt aut qualificatio requiritur ex Statuto edito in limine fundationis, & tunc illud habet locum etiam in Prouisionibus Apostolicis; Aut agitur de aliquo Indulto speciali concesso per Summos Pontifices longè post fundationem Ecclesiæ, & tunc verum est, Prouisiones Pontificias sub Indulto non comprehendi iuxtà distinctionem *Abb. in cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora num.* 11. *de elect.*, cum alijs pleno calamo allegatis in *decis.* 2028. *num.* 2., & *num.* 8. *coram Coccin.*

Nec credimus exaduersò esse proponendam exceptionem, quod scilicèt dictum Statutum non sit in viridi obseruantia, cum plures reperiantur Prouisi per Sedem Apostolicam de Canonicatibus Ecclesiæ Hyspalen., quamuis non fuerint Portionarij dictæ Ecclesiæ, & quamuis non haberent gradum Doctoratus, aut Magisterij; nàm cum præcitatum Statutum nostræ Sanctæ Ecclesiæ sit insertum in volumine Statutorum fundamentalium eiusdem Ecclesiæ, ex dicta insertione oritur præsumptio illius obseruantiæ, *Abbas in cap. Pastoralis num. primo in fine*, & *num.* 2. *de fide Instrum. Rota coram Penn. decis.* 237. *num.* 2., & *in recent. decis.* 51. *num.* 12. *part. prima decis.* 398. *num.* 3. *part.* 2. *decis.* 169. *num.* 6., & 7. *part.* 11., & in tantum non fuit facta plenissima probatio in quantum Exequutor in partibus denegauit Reuerendissimo Capitulo facultatem faciendi probationes, *Summ. num.* 17. *lit. A.*, ibi = & *probatione oblata pro parte dictorum Dominorum, quibus fuit denegata attentò, quod non habebantur prò legitimis Contradictoribus.* = Adeòut si Aduersarius prætendat, contrariâ obseruantiâ dictum Statutum remansisse abrogatum, id debet plenè, & concludenter probare, vt probant dictæ Auctoritates; Nàm quamuis illi, qui non erant Portionarij dictæ Ecclesiæ prouisi fuissent de Canonicatibus dictæ Sanctæ Ecclesiæ, adhùc tamen antequàm præsentarent literas Apostolicas Reuerendissimo Capitulo, & antequàm ab eo in Canonicos, & fratres reciperentur, coacti fuerunt Gradum Doctoratus, & Magistratus assumere; & iuxtà formam nostri Statuti sufficit, vt Prouisi antè possessionem gradum Doctoratus assequantur;

tur; Vnde cum Aduersarius, qui coram Executore institit compelli Reuerendissimum Capitulum, vt illum in Canonicum reciperet, tunc neq; temporis, nec de pręsenti sit decoratus gradu Doctoratus, aut Magisterij, sitquè incapax ad dictum gradum assequendum, cum nunquàm facultatibus in nostro Statuto designatis studuerit, vt ex inferiùs dicendis apparebit, vtique illius literæ non sunt vllo modo exequibiles.

Secundum principale fundamentum in eo consistit, quod scilicèt literæ Apostolicæ vsque de anno 1709. extortæ patentibus vitijs obreptionis, & subreptionis laborant, estque principium absolutissimum, quod literæ Apostolicæ, quotiès laborant aliquo vitio subreptionis, vel obreptionis, nullatenùs sint exequendæ, *cap. Super litteris de præbendis*, *cap. Cum teneamur de præbend.*, *cap. Non potest eodem tit. in 6.*, *cap. Prosit*, & *cap. Si eo tempore de rescriptis in 6.*: In beneficialibus enim quælibet minimò subreptio vitiat gratiam, vt plenè probat *Rota decis.* 124. *num.* 27. *part.*11.*recent.*

Et quamuis discussio obreptionis, vel subreptionis, an scilicèt falsi expressio, vel veri taciturnitas induxisset Pontificem ad concedendam, vel denegandam Gratiam contineat ancipitem quæstionem, quotiès subreptio non emergit ex ijs, quæ de Iure debent exprimi pro Gratiæ validitate, vt ratiocinatur *Lotter.de re Benefic.lib.*2. *quæst.*54. *num.* 25., nihilominùs cessat quæstio in casu nostro, in quo habemus expressam Summi Pontificis declarationem emissam in Breui, quo dignatus fuit rescribere Reuerendissimo Capitulo Hyspalen., quod scilicèt Canonicatus nostræ Ecclesiæ dicto anno 1709. conferre studuit illis, quos amplioribus testimonijs, & prærogatiuis virtutum, necnon originis præ cœteris communitos esse existimauerat, idquè non sinè peculiari intuitu ad preces, quas Reuerendissimum Capitulum Summo Pontifici obtulerat, voluitque Summus Pontifex singulare Paternæ suæ charitatis argumentum hac occasione Reuerendissimo Capitulo Hyspalen. tribuere, vt liquet ex præcitato Breui, *Summar. num.* 6. *litt. A.*, quod confirmatur ex responsione Eminentissimi Paulucci pariter datâ eodem tempore Reuerendissimo Capitulo, de qua in *Summ.num.*6., & pleniùs ex viuæ vocis oracolo Eminentissimi Sacripantes Prodatarij, qui in Epistolâ responsiuâ conscriptâ Reuerendissimo Capitulo, infrascripto modo respondit, ibi = *E perche nell'accennata lettera dimostra V. S. Illustrissima, quanto bramaua, che le Dignità, Canonicati, & altri Benefizj, e Prebende residenziali vacanti in cotesta Chiesa Metropolitana fossero conferite à Soggetti meriteuoli per Dottrina, & altri requisiti; non hò mancato dal canto mio di rappresentare questi sentimenti à Suà Santità, la quale colla sua solita, & alta comprensione per adesso hà*

scelto alle Prebende residenziali dal gran numero de' Concorrenti quelli, che hà giudicato più degni, e mi persuado, che douranno contribuir molto al seruizio di coteſta Chieſa, ed eſſer di ſodisfazione di V. S. Illuſtriſſima.

Patet itaquè ex præcitato Breui, & Epiſtolis dictorum Eminentiſſimorum, quod Summus Pontifex anno 1709. contulerit Canonicatus, & Præbendas Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Hyſpalen. illis, qui maioribus meritorum, Scientiarum, & originis prærogatiuis erant communiti, itaut expoſita requiſita per Prætendentes fuerint cauſa finalis Prouiſionũ Apoſtolicarum; Quotiès autē habemus declarationem mentis Summi Pontificis, non eſt vlteriùs indagandum, an ſi fuiſſet verum expreſſum Summo Pontifici, faciliùs, vel difficiliùs conceſſiſſet, dùm Snmmus Pontifex declarauit ex Concurrentibus delegiſſe eos, qui maioribus prærogatiuis erant communiti; Qua ſtante declaratione, ceſſat omnis quæſtio pro indaganda mente Pontificis, vt perbellè aduertit *Lotter. de re benefic. lib. 2. dicta quæſt. 54. num. 26. §. Nihilominùs*, ibi = *Nihilominùs id admitti poteſt in Iudice, proùt in his terminis loquitur Felin., & minimè in Principe, in quo non cadit hæc quæſtio veriſimilitudinis, ſed veritatis ſibi ſinè aliqua ambage manifeſtæ, & propterea dum declarat, animum ſuum talem fuiſſe, non dicitur iudicare ſecundùm veriſimilitudinem, vt facit Iudex, qui iudicat circà animum aliorum, ſed dicitur iudicare ſecundum veritatem, cum nedùm Principi, ſed vnicuique credatur circà proprium animum*, = *Rota coram Royas deciſ. 217. num. 4., & ſeqq., & coram Priolo deciſ. 270. num. 13.* Adeòut Iudex in huius Cauſæ diſcuſſione debeat ſequi mentem à Principe declaratam, dùm Summus Pontifex declarauit, animum ſuum fuiſſe ſeligere ex multitudine Concurrentium, & petentium prouideri de Canonicatibus Eccleſiæ Hyſpalen. illos, qui erant maioribus decorati prærogatiuis meritorum, Scientiarum, & originis, itaut in hoc caſu falſa expreſſio vnius ex requiſitis Summo Pontifici expoſitis reddere debeat Gratiam obreptitiam, & ſubreptitiam, quia ſi D. Aſcentius Polo non expreſſiſſet falſum in ſuis requiſitis, ex multitudine Concurrentium non fuiſſet præelectus, quia Summus Pontifex ſeligere ſtuduit illos, qui maioribus prærogatiuis Virtutum, Scientiarum, & originis cœteris pręcellebãt, dùm merita vniuſcuiuſque in Statera Iuſtitiæ appendebat, itaut ſi Aduerſarius non falſa, ſed vera requiſita Summo Pontifici expoſuiſſet, non fuiſſet cœteris antepoſitus, neque præelectus à Summo Pontifice, qui voluit ex menſura meritorum præeligere, vt ipſemet animum ſuum declarauit, & regula eſt, quod gratia Apoſtolica ſemper corruit ex defectu intentionis Concedentis, *Rota deciſ. 153. num. 3. coram Peutingerio*, & quotiès narratiuæ ſunt cauſa abſoluta conceſſionis gratiæ, prout in caſu pro de-

decernenda executione omnes debent plenè, & concludenter probari, nec hoc casu sufficiunt leues probationes, *Rota decis. 268. num.4.part.prima diuers., & decis.481. num. 9. coram Penn., & in recent.decis.10.num.3.part.11.*

D. Ascentius Polo nullum ex requisitis, quæ Summo Pontifici exposuit, iustificauit, aut iustificare valet, prout iustificare tenetur, dùm Summus Pontifex illi gratiam concessit, ex quo eidem exposuit esse de Nobili genere procreatum, & studuisse Philosophiæ, ac Theologiæ morali, *Summ. num.9. lit. B.*; Et quoniam narratas Summo Pontifici prærogatiuas non iustificauit, hinc Summus Pontifex ad earum iustificationem coram Executore faciendam eidem iniunxit in literis Apostolicis, ibi = *Tibi Presbytero d. Diæcesis asserenti, Te esse de Nobili genere procreatum, & Philosophiæ, & Theologiæ morali studuisse* = ideòque Aduersarius tenetur iustificare prærogatiuas Summo Pontifici expositas; quarum intuitu fuit ab eo præelectus cæteris Concurrentibus; quodque ipse Aduersarius teneatur dictas prærogatiuas iustificare, liquet ex tenore dictorum verborum, ibi = *Tibi asserenti* = quæ clausula idem sonat, ac clausula = *vt asseris* = quæ indiget plena iustificatione, *Ridolphinus in praxi par. 3. cap.8. num. 65.*, *Adden. ad Buratt. decis.621, num.28.& decis.708. num.15. & in recent.decis.511. par.4. & decis.178. num.15. par.12. & decis. 306. num. 3. par.10.*; Adeòut non iustificatis ijs, quæ continentus sub clausula = *vt asseris* = gratia euanescat, vt nullum Ius tribuat *Rota coram Carill. decis. 109. num.6. & decis.197. num.70.par.5.& dec.84. num.8. par.8.*

Præcipuum, & principale requisitum expositum ex parte D. Ascentij Polo Summo Pontifici fuit *Generis Nobilitas*, quodque hoc fuit requisitum principalitèr à Summo Pontifice consideratum, liquet ex literis Apostolicis incipientibus, ibi = *Nobilitas Generis, Summ. num.9. in princ.*, quodque Nobilitas generis fuerit à Summo Pontifice pro requisito principali, & primario consideratum, liquet ex clausula =*Tibi asserenti* = in corpore literarum Apostolicarum, ibi = *Tibi Presbytero dictæ Diæcesis asserenti Te de Nobili genere procreatum* = Et proindè apparet à Summo Pontifice, fuisse pro principali prærogatiua consideratam *Generis Nobilitatem*, quæ quidem generis Nobilitas cum non præsumatur, debebat exaduersò iustificari, *Menoch. de præsumpt. lib.6. præsumpt.59. & 60. per tot. Mascardus de probat. tom.2. conclus.* 1094. & 1095. *per Textum in leg. Non ignorat C. qui accusare vbi Baldus docuit*, quem præsumi magis popularem, quam Nobilem, & in *cap. primo §.51. Rusticus de pace tenend.*

Et non solùm non fuit exaduerso probata generis Nobilitas Summo Pontifici narrata, sed constat apertissimè Aduersarij familiam esse originariam de vili Oppidulo de Villarasa *in quo non solent ad-*

de-

desse Familiæ Nobiles, quinimò id liquet euidentèr ex Aduersarij confessione emissa in secunda Supplicatione *Perindeualere*, in qua supplicat Summo Pontifici sanari Gratiam ad sui fauorem factam anno 1709., in qua falsò, seù per errorem narrauerat esse de Nobili genere procreatum, cum tamèn non sit de Nobili genere procreatus, vt liquet ex *Summ. Addit. num.4. lit.B.*, ibi = *Et similitèr per errorem eundem Oratorem de Nobili genere procreatum existere, licet re vera de dicto Nobili Genere procreatus non existeret expressum fuerit proptereàque dictus Orator dubitet Literas prædictas subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio subiacere* = hæc autèm confessio per Aduersarium emissa in precibus Summo Pontifici expositis, plenam contrà ipsum constituit probationem, *l. Cum precum C. de liberali causa, Paxiordan. lucubrat. vol. 3. lib.14. tit.16. num.118., Rota coram Merlin. decis.776. num.6. & dec.830. num.1.*

Et non solùm Aduersarius non est de Nobili genere procreatus, sed patentèr liquet esse de genere vilissimæ Plebis paruæ Villæ, vulgo Casale Villæ rasæ: Idque liquet ex processu criminali eodem anno 1709. facto contrà suum fratrem germanum sex mensibus antequam Aduersarius de controuerso Canonicatu à Sanctissimo Domino Nostro prouideretur sub dicta narrata prærogatiua principali, quod esset de nobili genere procreatus, nàm Ioannes Dominguez Baquero frater germanus D. Ascentij Polo Ximenez de mense Ianuarij 1709. fuit querelatus vnacum Christophoro Rodriguez, Antonio Rodriguez, & Didaco Dominguez, in Curia dicti Oppiduli de Villarasa de furto Abigeatus ab ijsdem commisso in Territorio de Villarasa, & post compertos in Domo dicti Christophori, in qua quoque permanebat Ioannes Baquero frater Aduersarij, Vitulos, & Capram in frusta diuisos, vt ex *dicto Summ. num.16. lit.D.*, fuerunt carcerati, & examinatus prima vice *dictus Ioannes Dominguez Baquero* frater germanus Aduersarij, qui dixit esse filium *Consalui Ximenes*, & *Iosephæ Mariæ*, *quodque illius exercitium erat laborare in àruis, quamuis per plures dies non fuerat mercede conductus, vt ex dicto num. 16. lit. I.*, fassus fuit delictum *Abigeatus* insimùl, & *associatus* cum Christophoro Rodriguez eius Compatre, & alijs duobus Fratribus, *d. Summ. num.16. lit. M. N. & O.*, & deposuit scire, furtum duorum Vitulorum, quem commiserat, esse delictum graue *dicto numero 16. litera P.*

Deindè examinatus Christophorus Rodriguez Compater Fratris germani D. Ascentij Polo, qui postquam confessus fuit crimen furti dd. duorum Vitulorum ab ipsis commissum, *Summ. num. 16. lit.R.*, deposuit etiam, quod dum iter arripuerant ad effectum furandi duos Vitulos, reperierunt Ouem à Grege diuisam, illamque etiam furati sunt, & caput illi amputarunt, & in quartos di-

ui-

uiſerunt, *Summ. dicto num.* 16. *lit. T.*; Depoſuit etiam quod ſex diebus antequàm commiſiſſent furtum Vitulorum, & Ouis, ipſe aſſociatus cum dicto Ioanne Baquero Fratre germano Aduerſarij circa mediam noctem ſe contulerat ad Ouile Dominici Ortiſcoto, & furati fuerunt nouem Caſeos, *Summ. dicto num.* 16. *d. lit. T.*; Et ſucceſſiuè depoſuit de alijs furtis commiſſis in alijs Ouilibus Territorij de Villa raſa, *Summario num.* 16. *lit. V.*: Fuerunt etiam examinati Teſtes, qui depoſuerunt de alijs furtis ab illis commiſſis de nocte, *Summ. num.* 16. *lit. BB. CC. & ſeqq.*, & ſubindèque de eorum mala fama. Et ſucceſſiuè fuerunt iterùm examinati Chriſtophorus Rodriguez, qui depoſuit, quod dictus Ioannes Baquero, dum à Villa de Villaraſa cum ipſo egrediebatnr pro perpetrandis furtis in Territorio, deferebat enſem, quodque Paſtores eos nuncupabant fures nefarios, vulgò *Ratterios*, *dicto Summ. num.* 16. *liter. HH.*; Et tandèm examinatus dictus Ioannes Dominguez Baquero frater germanus Aduerſarij, *Summ. nu.* 16. *lit. KK.*, non ſolùm ratificauit, & approbauit depoſitionem præcedentem, ſed etiam confeſſus fuit alia furta per ipſum cum ſuo Compatre, & Fratribus commiſſa in prædicto Territorio, quodque ipſe non ſolùm deferebat enſem, ſed etiam paruum Sclopum, vt ex *dicto Summ. num.* 16. *lit. MM. NN. OO.*

Ex hac autèm geminata confeſſione liquet non ſolùm, Aduerſarium nunquàm fuiſſe de nobili genere procreatum, ſed imò liquidiſſimo apparet eſſe de genere ruſtico, plebeio, & ex illis, qui victum ſibi comparant locando operas ſuas in fodiendis Agris, vel cuſtodia Caprarum, & notato infamia proptèr furtum Abigeatus, aliaq; furta à ſuo Fratre germano commiſſa; Quocircà ſi ipſe Aduerſarius falsò non expoſuiſſet Summo Pontifici eſſe de nobili genere procreatum, ſed expoſuiſſet, quod erat de vili Plebe, & de genere infamia notato, non vtique obtinuiſſet à Summo Pontifice Canonicatus prouiſionem, quia Summus Pontifex ſuam mentem declarauit, quod in prouiſione Canonicatuum, & Prebendarum Eccleſiæ Hiſpalen. ex multitudina Concurrentium ſelegerat illos, qui maioribus prærogatiuis eſſent communiti, itaut niſi Aduerſarius falſitatem expoſuiſſet, & veritatem occultaſſet, non fuiſſet à Sanctiſſimo D. Noſtro de dicto Canonicatu prouiſus, dùm habemus declarationem animi, quod prouidere voluit, ſeu eligere ex Concurrentibus magis dignos. & præſtantioribus prærogatiuis condecoratos.

Et quidèm, Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Patres ſubreptio, & obreptio dictæ Prouiſionis non ſolùm fundatur in defectu prærogatiuæ Nobilitatis generis, ſed omnia requiſita, quæ Aduerſarius expoſuit Summo Pontifici, omnia, inquam, ſunt falſa, ſeu falsò expreſſa, vt oſtendunt ipſamet documenta pro eorum iuſtificatione exaduerſo producta coram hac Sacra Congregatione; nàm

Ad-

Aduersarius tria requisita Summo Pontifici exposuit pro extorquenda Canonicatus prouisione; Primum nempè, & principale Nobilitatē generis: Secundo studium Philosophiæ, & tertium studium Theologiæ moralis; nullum autèm ex prædictis requisitis est verum, cum sit notorium in Ciuitate Hispalensi Aduersarium nunquàm huiusmodi scientijs operam dedisse, sed simpliciter studuisse Grammaticæ, in qua etiam est mediocritèr instructus, prout pro publico, & notorio fuit pro parte Reuerendissimi Capituli coram Executore allegatum, *Summ. num.* 13. *lit.C.& D.*, ibi = *Dum quoad scientiam recedit totum à veritate, cum beuè notum sit, non fuisse Professorem in aliqua, ac parùm, & moderatè scit latinè loqui, absque eo quod incubuerit alio studio, quàm Grammaticæ &c. quod totum non est necessè iustificari, quia est publicum, & notorium omnibus, & ità id allego.*

Et quidem erat publicum, & notorium 'n Ciuitate Hispalensi, quod Aduersarius nihil aliud studuerit, quàm Grammaticæ, dum toto tempore vitæ suæ, & à Pueritia commoratus fuit in dicta Ciuitate in famulatu Domini Ioannis Serrano de Castro Canonici S. Ecclesiæ Hispalen., & quidem vsque ad annum 1707., quo ad Vrbem accessit, itaut etiamsi voluisset studiis operam dare, adhùc tamen non valuisset, propter continuum famulatum, quem præstare tenebatur Canonico eius Domino.

Et quamuis Reuerendissimum Capitulum coram Executore opposuisset præcitatum defectum, quod Aduersarius numquam studuisset aut Philosophiæ, aut Theologiæ morali, prout Summo Pontifici exposuerat, sed quod vix esset in Grammatica instructus, adhùc Aduersarius probare non curauit, & iustificare, ipsum studio Phylosophiæ, & Theologiæ moralia operam dedisse, sed illius diligentia in eo versata fuit, scilicèt in extorquenda attestatione quatuor Religiosorum Collegii Maioris S.Thomæ Aquinatis Ciuitatis Hispalen, qui testantur ibi= *Quod D.Ascentius Ximenez Polo Præsbyter in Oppido Villarasa natus olim in eodem Collegio per tres Annos Cursum Artium laudabilitèr expleuit cum odore bonæ vitæ, & fragrantia bonorum morum, quin in oppositum aliquid fecisset, nec ad nos peruenisset, = vt ex Summ.addit.n.8.*

Verùm hæc attestatio exaduerso producta, & extorta de mense Septembris Anni 1716. pendente lite, & non producta coram Executore, nullam penitùs probationis speciem constituit; quinimò illa magis patefacit Gratiæ subreptionem. Quandoquidem in Regnis Hispaniarū studiū Artium nihil aliud est, quàm studium Summularum, seù Logicæ, siuè introductionis ad studia maiora. Vndè cum Aduersarius Summo Pontifici exposuerit studuisse Phylosophiæ, & prò dictæ narratiuæ iustificatione adduxerit attestationem quatuor Religiosorum, quod studuerit Artibus, seù Summulis, & Logicæ iam patet Phylosophiæ non studuisse

quia

quia si studuisset Philosophiæ, quemadmodum dicti Religiosi ad faciendam rem gratam *A*duersario fecerunt attestationem de Studio Artium, ità etiam eamdem fecissent de studio Philosophiæ, si illi operam dedisset.

Nec est mirum si Aduersarius in decursu trium Annorum solo studio Summularum, & Logicæ operam dedit, nec quidquam profecerit, itaut ascendere potuisset ad studium Phylosophiæ, nam id non solùm processit ex quo est parùm instructus in Grammatica, sed etiam quia non poterat studium frequentare, cum esset addictus assiduo famulatui dicti Canonici, cui toto tempore suæ vitæ inseruiit, & quia vlterius videtur nimis *crassæ mineruæ*, *& incapax* pro addiscendis scientiis superioribus; Ac propterea Aduersarius ad docendum, quod studuisset Theologiæ morali, tertium requisitum, quod Sanctissimo Domino nostro exposuit pro extorquenda Canonicatus prouisione, produxit in actis Attestationem Thomæ Gloriæ Superioris Seminarii Domus Romanæ in Monte Citatorio Congregationis Missionis, qui sub die 20. Iulii 1717. testatus fuit, quod Illustrissimus D. *A*scentius Polus Ximenes à die 27. Nouembris 1707. vsque ad diem 11. *A*ugusti 1709. commoratus fuit in Seminario, ibique in frequentandis omnibus tàm Pietatis, quàm literarum studiis, cæterisque Ecclesiasticis exercitiis in eadem Domo consuetis dedit aliis perspicuum exemplum, *Summar. addit. num.9.*

Hæc autem attestatio nihil probat, nam in Seminario Missionis non adsunt studia literaria, neque Scholæ, in quibus Aduersarius instrui, aut addiscere potuerit Theologiam Moralem. Patet itaque ex prædictis, quod omnia requisita, & omnes narratiuæ factæ Sūmo Pontifici pro extorquenda prouisione Canonicatus sunt falsæ, mendicatæ, & nulla ex illis habet fundamentum, seù principium veritatis, cum nihilominus ad effectum, vt quis dicatur habilis, & idoneus pro Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis non sufficiat talis qualis scientia, sed est necesse docere, quod in scientiis, quibus studuerit, profecerit, itaut possint esse Coadiutores, & Cooperatores Episcopi, cuius Canonici sunt membra, ad *Text. expressum in cap. Intèr cæteræ, §. fin. de Offic. Ordin.* ibi-- *Præcipimus, in Cathedralibus Viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadiutores, & Cooperatores habere,* -- ibique probant omnes Canonistæ, prout fusè probauimus super alio Dubio, & ad propositum aduertit *Lotter. de re benef. lib.2. quæst.50. num.53.* ibi- *Quo fit, vt in Examine ad Canonicatus in Cathedralibus semper requiratur, quod promouendus vltra scientiam in literis, vlteriùs ità profecerit, vt suo Consilio possit aliquando Ecclesiam, & Episcopum iuuare, ne contingat ad Capitulum duci Oues, & Boues.*

Si enim Aduersarius Summo Pontifici exposuisset veritatem, scilicèt ipsum esse simplicem Præsbyterum de Vili Plebe, & rustico genere procreatum, mediocritèr in Grammatica instructum, & non ex-

expo suisset, se de Nobili genere procreatum, quodque studuit Phylosophiæ, & Theologiæ morali, intelligendo de studio legali, quale de Iure requiritur, scilicèt cum profectu, quod scilicèt in illis profecerit, vtique Summus Pontifex Aduersarium non præelegisset aliis Sacerdotibus magis qualificatis, qui de eodem Canonicatu prouideri supplicarunt, prout declarauit in Breui Summus Pontifex, & ex viuæ vocis oraculo duo principales Cardinales Sanctæ Ecclesiæ, nempè Eminentissimi DD. Pauluccius, & Sacripantes; neque est verisimile, vt Sanctissimus Dominus Noster ex suo notissimo Zelo in prouidendis Ecclesiis, voluerit Aduersario Canonicatum conferre, destituto illa scientia, quæ de Iure requiritur prò assequutione Canonicatus in qualibet Ecclesia Cathedrali, & multò magis in nostra Ecclesia adeò insigni, quæ non solùm est Cathedralis, sed Metropolitana, & Patriarchalis, & quam idē Summus Pontifex ad Reuerendiss. Capituli supplicationem prouidisse declarauit de personis doctis, & qualificatis; Idcircò Literæ Apostolicæ D. Aduersarii tamquam in omnibus partibus subreptitiæ, & obreptitiæ, nullam merentur executionem nedum vti extortæ contra mentem expressam Summi Pontificis, & ab eodem Summo Pontifice nostro Reuerendissimo Capitulo patefactam, sed etiam quia D. Aduersarius est omninò incapax incapacitate Iuris dicti Canonicatus, estque ab omni ratione alienum præsumere, quod Sanctissimus D. N. voluerit Aduersario Canonicatum conferre destituto illa scientia, quæ à Sacris Canonibus præfinitur pro assecutione Canonicatus in Ecclesia Cathedrali.

Præsertim in Ecclesia nostra, in qua Statutum fundamentale præcipit, ne Reuerendissimum Capitulum in Canonicum recipere teneatur nisi Personas ea scientia præditas, vt per ipsas decorari possit Ecclesia, & in Spiritualibus, & temporalibus suscipere incrementum, vt ex *Summ.n.1.litt.A.*

Quin Aduersarius impugnare valeat, ipsum esse mediocritèr in Grãmatica instructum, & studiis maioribus operam non dedisse, nec dare potuisse, cum id possint Illustrissimi PP. facilè assequi, eidem præponendo explicationem aut Epistolæ, aut Euangelii, eumque examini subiiciendo, tunc enim facilè comprænhendere possent, Aduersarium vix esse mediocritèr in Grammatica instructum, & proindè indignum, & incapacem Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, vt probabimus in alia facti informatione super prætensa concessione nouæ gratiæ.

Tertium subreptionis vitium propositum coram Executore pro parte Reuerendissimi Capituli est euidens, & super eo nulla considerari potest Iuris, aut facti discussio. Liquet enim ex Processu formato coram Executore, quod Aduersarius de tempore, quo prouisus fuit de Canonicatu à Sanctissimo D. Nostro in S. Ecclesia

His-

Hispalen. possidebat tria Beneficia Ecclesiastica, seù tres perpetuas, & Collatiuas Cappellanias eidem Ordinaria auctoritate collatas, vt liquet ex illius confessione iurata emissa coram Executore suarum Literarum Apostolicarum, vt ex *Summario principali num.* 14., & per consequens cum Aduersarius in literis Apostolicis prouisionis dicti Canonicatus Summo Pontifici non expresserit, sed fraudolentèr tacuerit, quod ipse possidebat præcitatas perpetuas, & collatiuas Cappellanias, ex quarum fructibus congruam habebat substentationem, prout ipse fassus fuit *d. Summ.num.*14. vtique dicta Gratia fuit nulla, & inualida eo ipso, nam vbicumque aliquis prouidetur per Sedem Apostolicam de Beneficio, tunc si de tempore Prouisionis aliudBeneficium possideret, etiamsi illud esset modicum, & in supplicatione, seù in literis Apostolicis non facit mentionem de Beneficio, quantumuis modici redditus, quod possidebat, gratia est ipso jure nulla, & inualida, & nullo modo exequibilis, ad *Text. expressum in cap. Si Motu proprio de præbend.in 6.* ibi = *Si Motu proprio alicui aliquod Beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam huiusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, inualidam volumus reputari; Secùs si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam huiusmodi faciamus, tunc enim quantumcumque modicum Beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere; Motu quoque proprio tunc solùm gratia fieri censeatur cùm hoc expressè dictum fuerit in eadem* = Ex cujus tàm clara dispositione decisum habemus, quod gratia, in qua Summus Pontifex non motu proprio, sed ad Partis petitionem prouidet aliquem possidentē Beneficium etiam modicum, si de eo in gratia prouisionis alterius Beneficij non sit facta mentio, Gratia dicitur eo ipso subreptitia, & viribus non subsistit, vt probat ibi *Glos. & omnes Canonistæ, Selua de Benef.par.3.quæst.11. num.41. Paris.de Resignat.lib.10.quæst.2. Garzias de Beneficijs par.1. cap.2.num.126. Rosa de Exequutoribus litterarum Apostolicarum lib.1. cap.5.num.30. & 306. Adden.ad decis.90. num.89. part.9. & in Valentina Vicariæ 7.Iunij 1694.cor.bo.me.Vrsino §.primo impress.post Card.de Luca de benef. decis.9.*

Cum itaque in præsenti non versemur in gratia Canonicatus Ecclesiæ Hispalen. motu proprio Aduersario concessa; sed versemur in gratia prouisionis Canonicatus Aduersario concessa ad ipsius, vel alterius supplicationem, & in præcitata gratia Aduersarius tacuerit, quod tunc temporis, prout adhuc hodiè possidebat tres perpetuas Capellanias collatiuas; vtique Prouisio Canonicatus fuit nulla, inualida, & subreptitia, juxtà claram, & ineuitabilem dispositionem præcitati *Text.in cap.Si Motu proprio de Præbend. in 6.* & probant supradictæ auctoritates.

Nec

Nec in hac materia vlla admitti potest excusatio fauore Prouisi, ad effectum illum excusandi ab obtentorum expressione, nec illi suffragatur excusatio, quod Beneficia non expresserit per malitiam, sed per meram simplicitatem, & per juris ignorantiam, quià in hac materia sempèr gratia remanet subreptitia, & nulla admittitur excusatio, siuè sub prætextu ignorantiæ, vt rectè aduertit ibi *Glos.verb.taceatur in d.cap. Si Motu proprio de Præbend. in 6.* ibi = *Indistinctè intelligo, cum enim Ius non distinguat, nec ego distinguam; vndè siuè per malitiam, siuè per simplicitatem taceat, locum habet hęc Decretalis* = quam ibi sequuntur omnes Canonistæ, *Io. Andreas, & Geminianus num.6.Franch.num.7. Ancharanus notabili 4.* cum alijs super d.*Textu collectis à Barbos., Selua de Benef.par.3.quæst.12.Garzias de Beneficijs part.1. cap.2.num.122.* & passim apud omnes Beneficialistas.

Estque in Iure absolutissimum, vt quotiès in gratia taceatur id, quod de jure est exprimendum, nulla excusatio admittatur, & sempèr Gratia dicitur subreptitia, etiamsi id, quod non fuit expressum, Summum Pontificem à Gratiæ concessione non retraxisset, vt plenè probat *Felin.in cap.super litteris sub num.2. vers.limita primo de rescript.* & aduertit *Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.54. num.27. & seqq.* ibi = *Neque verò huius styli par est ratio, & virtus cum ipsa juris terminatione: vbi enim emergit subreptio, ex taciturnitate eorum, quæ sunt de jure communi exprimenda, nulla admittitur excusatio ex simplicitate, nec juuat, quod in effectu nihilominùs Princeps esset gratiam concessurus, quià cum Ius commune omnibus pateat, & semper sit certum, non potest ignorantia illius allegari.*

Nec videtur obstare, quod *Text.* loquatur de Beneficijs, non autem de Cappellanijs, quodque proindè non sit ad Cappellanias illius dispositio extendenda, nàm cum Cappellaniæ possessæ per Aduersarium conferantur in titulum ordinaria auctoritate, prout ipse Aduersarius fassus fuit in noua supplicatione, quàm in Dataria Apostolica præsentauit *Summario Additionali num. 6.* vtique illæ dicuntur verè, & propriè Beneficia Ecclesiastica, vt plenè probat *Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloss. 5. num. 68. & 69. Garz.de Benef. par.1.cap.2. num.95. & seqq. Sarnen. in regula de annali quæst. 20. & Mandos. super eodem regula quæst. 17. Perez de Lara de Cappellanijs lib.2. cap.1. num.16.*

Quinimmò Cappellaniæ semper præsumuntur perpetuæ, & collatiuæ, vt plenè probat *Gonzal. dicta gloss.5. num. 50. & 51.* planum est, quod sub dispositione dicti *Text.in cap. si motu proprio de Præbend.in 6.* compræhendantur omnia Beneficia collatiua quocumq; nomine nuncupentur, dummodò conferantur in titulum, vt in specie aduertunt *Archidiacon. in dicto cap. Si motu proprio num.2. de Præbend. in 6.* ibique *Geminian. num.7. Franch. n.6. Panormitan.in cap. Cum teneamur num.3. de rescript.Selu.de Benefic. par.2.quæst.12*

Couarru. var. lib. 1. cap. 20. per tot. Garz. de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 122. & seqq.

Neque dicatur Capitulum non esse legitimum contradictorem ad effectum opponendi prouisionis Apostolicæ subreptionem, vel obreptionem, quià obiectum pluribus responsionibus eliminatur quarum prima est, quod Capitula Ecclesiarum Cathedralium dicuntur legitimi Contradictores aduersus Prouisum Apostolicum, quotiès se opponūt prò conseruatione, & defensione suorum Statutorum requirentium aut nobilitatem, aut gradum Doctoratus *Argelus de legit. contradict. quæst.* 14. *num.* 47. ibi: *Ad primum respondendum, quando Capitulum allegat impedimentum respiciens obseruantiam suorum Statutorum, tunc esse legitimum contradictorem, & ideò citandum, in quo casu debet Exequutor assumere Partes Iudicis citare, & audire Capitulum, Garz. de beneficijs par. 3. c. 2. & par. 6. cap. 2. num. 161. Rosa de exequutoribus Litterarum Apostol. part. 1. cap. 8. num. 156. Card. de Luca de benefic. disc. 55. num. 8. & seqq. & disc. 113. num. 8. §. Secùs Rota coràm Merlin. decis. 141. in fine, & coràm Carill. decis. 101. num. 9. & coràm Dunoz. decis. 202. circa finem*. Quo circà cum ex Statuto fundamentali nostræ Ecclesiæ requiratur, vt recipiendi in Canonicos esse debeant, aut Portionarij, aut graduati *Summario principali num.* 1. indè sequitur, vt Capitulum in hoc casu sit legitimus contradictor, quousque Aduersarius doceat ipsum fuisse Portionarium in S. Ecclesia Hispalen. aut graduatum in Sac. Canon. aut Theologia.

Secundò dicimus, quod Reuerendissimum Capitulum Hispalen. in hoc casu speciali effectus fuit legitimus contradictor ad allegandum subreptionem, & obreptionem litterarum Aduersarij constitutus à Summ. Pont. Nàm cum Capitulum de anno 1709. supplicauerit Sanctissimo, vt Canonicatus vacantes in dicta Ecclesia conferret personis nobilitate, & scientia conspicuis, & Summ. Pontifex ad gratificandum Reuerendiss. Capitulo eidem per Breue respondit ex concurrentibus illos selegisse illos, qui maioribus virtutum, scientiarum, & originis prærogatiuis erant condecorati, vtique in hoc casu Reuerendissimum Capitulum dicitur constitutus legitimus contradictor ab ipso Summo Pontifice ad effectum allegandi subreptionem gratiæ Aduersarii extortę sub falsa narratiua nobilitatis, & prærogatiuæ scientiarum.

Tertiò dicimus semper Capitulum Ecclesiæ Cathedralis esse legitimum contradictorem prouiso Apostolico, quoties allegat patentem, & ineuitabilem Litterarum Apostolicarum subreptionem, & offert earum subreptionem incontinenti probare, vt firmat *Argel. de legitim. contradictor. quæst.* 14. *art.* 5. *num.* 51. vbi post firmatam regulam, quod Capitulum Cathedralis Ecclesiæ non sit legitimus contradictor ad effectum opponendi subreptionem Litterarum Apostolicarum, conclusionem limitat in eo casu, quo proponit excep-

ceptionem releuantem subreptionis, & obreptionis, & offert illam incontinenti probare, tunc enim probat Capitulum esse legitimum contradictorem, vel saltèm esse legitimum oppositorem ad effectum, vt examinari debeant exceptiones ab ipso propositæ, vt probat *Card.de Luc.de Benef.disc.55.n.9.Rota cor.Carill.dec.201. n.5.* vbi quod ad effectũ, vt Capitulum dicatur legitimus contradictor sufficit habere justã causam denegandi possessionem, & justa causa in casu dictæ decisionis deducta fuit ex eo, quod resignatio de cuius executione agebatur, erat nulla propter decretum appositum in gratia prouisionis Resignantis, quod deberet intrà triennium ad Ordines Sac. promoueri; Cumque prouisus Apostolicus post lapsum triennij non susceptis Sac. Ordinibus eandem resignauerit, Rm̃um Capitulum se opposuit, ex quo Resignans nõ habebat jus aliquod, quod posset resignare, & se opposuit executioni litterarum resignationis, & in hoc casu Capitulum habitum fuit à Sacra Rota pro legitimo contradictore ex quo habebat justam causam denegandi traditionem possessionis, idemque probat *Rota corãm Caualler. decis.59. Adden. ad Gregor. decis.54. sub litt.B. & Adden. ad Buratt. decis. 319. versic. prædicto autem*, & fuit decisum in alia *Hispalen. Canonicatus coràm Gregor.*, vt ex *decis. 221. num. 6.* vbi in tantum fuit reiecta oppositio Capituli in quantum non allegabat causam legitimam, propter quam deberet denegari executio Litteris Apostolicis, & probat quoque *Garz. de Benef. part. 6. cap. 2. num. 161.* Cum itaque in casu nostro Reuerendissimum Capitulum opponat aduersus executionem Litterarum Apostolicarum, patentissima vitia subreptionis, & obreptionis, & per consequens alleget causas legitimas propter quam Litteræ Apostolicę Aduersarij non sint exequendæ, dicitur legitimus contradictor, quià causas subreptionis, & obreptionis in continenti probauit, & probat ex ipsis met Aduersarij confessionibus, vt suprà probaui.

Quarta responsio est, quod scilicèt Reuerendiss. Capitulum ex forma suorum statutorum juratorum S. Ecclesiæ Hispalen. est legitimus Contradictor ad effectum denegandi possessionem Prouiso Apostolico quotiès litteræ sunt obreptitiæ, & subreptitiæ vigore dictorum statutorum; In illis enim sub titulo *quomodò Beneficiatus debeat recipi ad possessionem*, fuit statutum, & ordinatum, quod quotiès aliquis petat admitti ad possessionem alicujus Beneficij S. Ecclesiæ Hispalen. etiamsi sit collatum ex prouisione apostolica, prouisus tenetur in Capitulo exibere suas Bullas, & processum fulminatum, & quemcumque alium titulum, quodque Capitulum debeat omnia videre, & diligentèr examinare, etsi constiterit de illius jure per justos titulos, quod tunc mandet Bullas recipi *Summario principali Num.2. litt.A.& B.*, quodque antè admissionem seruari deberet forma scripta in sequenti statuto à dicto *Num.2. litteris C.& D.*

In

In sequenti verò statuto, quod datur *Summ.nostro Num.3.* paritèr ab Aduersario producto fuit sancitũ, quod si vacauerit aliqua Dignitas, vel Canonicatus, aut Portione, etiam in mense Apostolico, & Capitulum fuerit requisitum ad dandam possessionem, tunc debet per Vota secreta fieri scrutinium, an litterę Apostolicæ sint admittendæ, vel debeant remitti ad Sanctissimum Dominum Papam, quodque si major pars fuerit pro admissione, tunc debeant admitti litteræ Apostolicæ d.*Summ.Num.3.litt.A.* Si verò major pars fuerit pro non admissione, tunc litteræ Apostolicæ debent remitti ad Sanctissimum, vt liquet ex dicto *Summario Num. 3. littera C.*

Et in alio statuto paritèr ex aduerso producto, de quo in nostro *Summ.Num.*4.paritèr fuit cautum, quod Prouisus debet præsentare Bullam suæ Prouisionis cum processu fulminato, quodque prędicti tituli debent matura reflexione examinari per Reuerendiss. Capitulum ad hoc, vt canonicè dare possit possessionem Prouiso Apostolico, vel facere quid quid magis de jure, & justitia conueniat *Sum.Nu.3.*& ad præcitati statuti obseruantiam omnes Canonici debent juramento se adstringere, & aduersùs Contrauenientes fuit imposita pœna, vt ex d. *Summ.Num.*4. Quo circà si Capitulum vigore statutorum juratorum ex aduerso productorum potest cognoscere, & examinare justitiam tituli, vtique multò magis dici debet legitimus Contradictor, quotiès illi præsentantur Litteræ Apostolicæ patentèr subreptitiæ, & obreptitiæ.

Denique dicimus, quod etiamsi non adesset legitimus Contradictor adhuc tamen litteræ Apostolicæ non sunt vllatenùs exequendæ, nam quotiès subreptio, vel obreptio litterarum Apostolicarum procedit ex taciturnitate Beneficij, quod prouisus Apostolicus possidebat de tempore gratiæ, tunc Executor denegare debet litteris Apostolicis executionem *ad Text. expræss. Concilij Lateranen. in cap.Cum teneamur de Præben. & Dignit.* ibi = *Si mandatum nostrum pro alicuius prouisione receperis, qui aliud Beneficium habeat, de quo possit commodè substentari, nisi fortè in litteris ipsis, de hoc mentio habeatur, aut si non potest ei sinè scandalo prouideri, æquanimitèr substinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum* = ex cujus censura liquidissimo apparet, quod Exequutor Apostolicus non debet exequi litteras Apostolicas prouisionis alicujus Beneficij fauore illius, qui de tempore gratiæ aliud Beneficium possidebat, de quo non fecit mentionem in prouisione secundi, ibique *Glos. verb.æquanimitèr*, quam sequuntur omnes Canonistæ.

Non obstante, quod præcitati Textus dispositio procedat in casu, quo primum Beneficium sufficiebat ad illius congruam substentationem, quià objectum duplici responsione refellitur, quarum altera est, quod idem Aduersarius coràm Exequutore medio juramento declarauit, quod ex fructibus dictarum Capellaniarum

con-

congruam habebat possessionem, vt ex *Summ.Num.*14.

Secunda responsio est, quod dispositio dicti Textus locum sibi vindicat etiam si Beneficium tacitum sit modicum, & non tribuat Beneficiato congruam substentationem, adhuc enim quemadmodùm taciturnitas modici Beneficij inducit patentissimam subreptionem ex posteriori *Textu in cap. si Motu proprio de Præben.in 6.* ita Exequutor non debet illarum exequutionem decernere, vt in specie aduertit *Abbas in d.cap.Cum teneamur de Præben.num.3.*& communitèr ibidem Canonistæ.

Estque indubitatum, quod quotiès Exequutori liquidissimo constat litteras Apostolicas prouisionis alicujus Beneficij esse subreptitias & obreptitias, tunc etiam si non adsit legitimus Contradictor, qui d. subreptionem, & obreptionem possit allegare, adhuc non debet illas exequutioni demandare, cum illius principale officium in eo consistat, vt scilicèt priùs cognoscat, an litteræ Apostolicæ vitio subreptionis sint infectæ, vt expræsse dispofuit *Sac. Concil. Trid.sess.22.cap.5. de Reform.* ibi = *Hæc verò, quæ gratiosè conceduntur suum non sortiantur effectum, nisi priùs ab ijsdem tamquàm Delegatis Apostolicis summariè tantùm, & extraiudicialitèr cognoscatur expræssas preces subreptionis, vel obreptionis vitio non subiacere* = & probant expræsse *Zerolà in Praxi par.1. verb. Exequutor, §.2.Garz.de Benef.par.6.cap.2.num.161. Ros.de Exequutor Litterar. Apost.part.1.cap.9.tit.quod agere debeat Executor cùm litteræ Apostolicæ sibi præsentatæ sint subreptitiȩ*, & firmat eo casu per Exequutores esse remittendas ad Sedem Apostolicam, prout fecit Exequutor nostrarum litterarum, qui post detectam earum subreptionem consulere voluit Oraculum Sanctæ Sedis, vt liquet ex *Summ.principali Num.*17.

Indubitanter in casu nostro quià ipsemet Aduersarius jam agnouit patentissimas subreptiones, & obreptiones suæ gratiæ, & proindè supplicauit SS. D. N. ex integro de controuerso Canonicatu prouideri.

Ex quibus cum satis, superque appareat de subreptione, & obreptione Litterarum Apostolicarum D.Ascentij Polo tùm quià non est qualificatus juxtà formam Statuti fundamentalis nostrȩ Ecclesiæ, tùm quià prouisionem dictus Canonicatus sub falsis narratiuis contrà mentem expressam Summ.Pont. extorsit, & non habet idoneitatem à jure communi requisitam pro Canonicatu Ecclesiȩ Cathedralis, tùm quià illius gratia est nulla, & inualida in radice ex qua Summ. Pont. non fecit mentionem de tribus Cappellanijs incompatibilibus, quas possidebat; meritò decernendum speramus, litteras Apostolicas D. Ascentij Polo non esse exequendas, vt reuerenter supplicat Reuerendiss. Capitulum Sanctæ, & Patriarchalis Ecclesiȩ Hispalen.

Quarè &c.

Vitus Angelus Caualletti.

CONGREGATIONE
PARTICVLARI
A' SANCTISSIMO
DEPVTATA
RR. PP. DD.

MAREFVSCHO, ANSIDÆO, LANCETTA, HERRERA, ET SARDINO

Hyspalen. Canonicatus super prætensa Executione Litterarum.

P R O

Illmis DD. Decano, & Capitulo Metropolitanæ, & Patriarchalis Ecclesiæ Hispalen.

C O N T R A

Rmum D. Ascentium Ximenez Polo

S

Facti.

Typis De Comitibus 1717.